CONFVTATIO

ABBREVIATA IOHANNIS COCHLEI, ADVERSVS DIdymum Fauentinũ Philippi Melanchthonis, olim ſcripta, nunc primum edita, in admonitionem fidelem Catholicorum apud exteros.

LIPSIAE.



M.D.XXXIIII.

MAGNIFICO AC GENEROSO DOMINO, DOMINO LVCAE, COMITI à Gorka, Castellano Posnaniensi, ac Maioris POLONIAE Capitaneo Generali, Domino suo gratioso, ac reuerenter obseruando, Iohannes Cochleus S. D.

MAGNIFICE ac Generose Domine, Illustris tua gratia non immerito admirari poterit, vnde id mihi audaciæ venerit, vt ausim ad Generosam Magnificentiam tuam scribere ignotus ignobilisq́ʒ, & alterius gentis ac Nationis homuntio. Dicam igitur breuiter huius facti mei causas. Primum, allexit me ad hoc tua virtus ac bonitas, à multis magnisq́ʒ viris mihi p̃dicata. Deinde singularis & eximia tua pietas, cuius præclarum specimen ante annos quinq́ʒ publice ostendisti, in obitu dilectiss. tuæ Coniugis, in cuius funere adeo magnificam exhibuisti in sacerdotes & Monachos aliosq́ʒ pauperes Eleemosynarum largitatem, ac tam splendidum funebris pompæ decorẽ, vt nihil possit dici vel magnificẽtius, vel magis pium. Quẽadmodum retulit mihi Reuerendiss. Pater, gratiosus Dominus meus, Episcopus Misnensis, qui in Legatione isthic constitutus, presens oculis suis omnia vidit. Dein meretur etiam tua in fide Catholica constantia, zelus erga Ecclesiam aduersus hæreticos, ac peruigil erga veterem Christianæ pietatis religionem, Deiq́ʒ cultum, & antiquarum Ceremoniarum rituumq́ʒ piorũ obseruantiã sollicitudo, vt omnes Catholici, præsertim sacerdotes et Monachi, te ament, laudent, venerentur, prædicent, vitamq́ʒ longęuam à deo tibi precentur. Deniq́ʒ vrget me conscientia, instigat charitas, impellit lex diuina, & publica deuitandi periculi cogit necessitas, vt illustrem Maie. tuam hoc tempore admoneam

de hæ-

de hæreticorum dolis & insidijs, à quibus magnopere timeo optimis quibusq; Polonis, propter eos scholares vestrates, qui Vuittenbergæ Lutherum & Philippum Melanchthonem audiunt, cōtra publicum sereniss. Regis vestri edictum. Quorum parentes & cognati non aliud forsitan arbitrantur aut sciunt, quam illos Lipsiæ in longe antiquiori studiorum Gymnasio, bonis literis ac liberalibus artibus operam dare. Quantum vero periculi Regno vestro inde immineat, ac superuenire queat, vnico ac non longe petito exemplo breuiter declarabo, ex Bohemica historia Aeneæ Syluij (qui postea fuit Papa Pius eius nominis secundus) in hæc verba.

Rexerunt scholā Pragensem vsq; in ea tempora Teuthones. Id molestissimū Bohemis fuit, hominib9 natura ferocibus atq; indomitis. Ex quibus vir quidā genere nobilis, ex domo quā Putridi piscis vocant, apud Oxoniā Angliæ ciuitatem, literis studens, cum Iohannis Vuiclephi libros offendisset, quibus De realibus vniuersalibus titulus inscribitur, magnopere illis oblectatus, exemplaria secum attulit. Inter quæ de ciuili, de iure diuino, de Ecclesia, de diuersis quęstionibus, contra Clerum pleraq; volumina, velut preciosum thesaurum, patriæ suæ intulit. Imbutus iam ipse Vuiclephitarum veneno, & ad nocendum paratus, tū quòd erat familiæ suæ cognomen, Putridum piscem, id est, fœtidum virus, in ciues suos euomuit. Cōmodauit autem scripta quę attulerat his potissime, qui Teuthonicorū odio tenebantur. Inter quos Iohannes emicuit, obscuro loco natus, ex villa Hus, quod anserem significat, cognomen mutuatus, &c.

Ex his facile conijcere potest Illust. Mai. tua, quam periculosum sit, vllum Polonorum audire nunc Lutherum, & eius propugnatorem Philippū Melanchthonem. Si enim vnus ille Bohemus, qui Oxoniæ studuit (vbi tamen neq; Vuiclephus ipse erat, neq; eius doctrina publice legebatur,

 tur,

tur, cum esset ab Vniuersitate illa potius damnata) inde in patriam reuersus, totum Bohemiæ regnum, quod tunc florentissimum erat, misere perturbare, & à vera religione in Vuiclephi hæresim, maximam eius partem trahere potuit. Quid nō metuendū vobis sit à tot Polonis, qui Vuittenbergę ipsos met hæreticos funestissimos audiunt? Vbi & nefas habetur, illorū doctrinæ contradicere. Et longe facilius possunt inde in Poloniam impressi libri transmitti, quam ex Anglia poterant scripti libri in Bohemiam trans mare per tantum terrarum tractum asportari. Hic ergo metus vrget me, ad edendum ea, quæ in Philippum (cuius compta verba & scripta pro fallacissimo Syrenarum cantu habenda existimo) vel olim scripsi, quæ sane editurus nunc non fueram, nisi imminentis periculi vrgeret necessitas, dū video ipsum ad hoc maxime nunc tendere, vt in externa regna Lutherismum transfundat. Quasi non satis malorū in Germania per sceleratam hæresim istam datum sit. Breuem autem ad Mai. tuam libellum contra eius Didymum emitto, in quem alioqui duos bene prolixos scripseram, ante annos XIII. Francfordię libros. Arbitror enim non esse modo necessarium, cuncta edere, cum ex ijs paucis facile intelligi queat, qualis sit eius doctrina. Et prodijt iam pridem longe doctissima aduersus eundem Didymum Oratio Thomę Todischi Rhadini, quę ita obturauit os Philippo, vt aduersus virum illū ne hiscere quidem, aut mutire tot iam annos ausus fuerit: quamuis existimatio & fama sua ab illo grauissime sit impetita & lęsa. Bene vale clariss. Comes, illustris ac generose Castellane & Capitanee, atq; hoc scriptū piamq; sollicitudinē meam gratiose in bonam partem accipe. Ex Dresda Misnię ad Albim. XIX. Calendas Septembris. Anno Domini, M.D.XXXIIII.

Prologus

PROLOGVS IOHANNIS COCHLEI, IN CONFVTATIONEM Philippicæ defenſionis, quæ Didymo inſcripta eſt, Anno domini 1521.

COGIT me nunc Chriſtiana pietas, Philippe Melanchthon, in te quoq;: cuius ingenium, q̃ diu illud vtiliter exercuiſti, vnice amaui: pro religionis defenſione, ſtylum conuertere. Quē tamen ita temperabo, vt nemo non intelligat, malle me ingenium tuum laudibus celebrare, q̃ publicitus reprehendere, ſi non eſſes eo ad grauiſſima ſcandala, contra Religionem patriæq; ſalutem & tranquillitatem abuſus. Sunt enim Philippe non pauci florentiſſimæ indolis adoleſcentes, atq; adeo viri quoq; diſerti, & in rebus ſęculi prudentes, qui hac Oratione tua ita abalienati ſunt à vera religione, atq; ab vnitate Eccleſiæ, vt dixerint palàm, hac diuina (ſic eam vocant) oratione tua ſeſe maxime in parte Lutheri confirmari, vt merito nunc videatur eſſe tempus illud, de quo prædixit Apoſtolus, fore tempus, cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſyderia coaceruabunt ſibi magiſtros, prurientes auribus. Tolle venuſtatem verborum, quid obſecro reliquum erit hac in oratione tua, quod Chriſtiano homini placere queat? Huſſitis autem & nouarum rerum ſtudioſis placent forſitan omnia, quæ contra bonos mores, contra religionem, contra patrię ſalutem, tam eleganti verborum lenocinio, à te ſunt, magno impiorum plauſu, prolata.

2. Ti. 4.

Ceterum quòd Rhadinus non continuo reſpondet tibi, haud abs re fieri arbitror. Primum, videt vir grauis, te iuuenem pueriliter ludere fictis titulis, dum aliū in fronte, alium in calce orationis authorem aſſignas. Deinde, videt te iuuenili oſtentatione fictam Declamationem per meros

Reſpondit autē poſtea, et quidē acerrie, adeo, vt Philippus tacēdo fateatur ſe victum ab illo.

fucos Rhetoricæ artis, velut in ſcęna porticuue, aut thea-
tro recitare. Cum ipſe vere & ſerio, abſq; ludo & oſtenta-
tione, ſcripſerit ad Principes & populos Germanię pro re-
ligione & patriæ ſalute. Tertio, videt te non ſibi, ſed Em-
ſero reſpondere, dum falſo putas Emſerum orationis illius
authorem eſſe.

Hic profecto me non mediocriter pudet, apud exteros, iudicij tui tam ſupini, (nolo grauius dicere) quũ tanto ſis alioqui pręditus ingenio. An non videbas, bone Philippe, plęraſq; illuſtres familias, per diuerſas Italiæ vrbes, mox à principio cõmemorari, quas Emſerus, homo Germanus, cõmemoraſſe non poterat? Quid vnq; negocij fuit Emſero, cum Gonſagis, cum Manfredis, cum Ordelaphis, cum Rhadinis? An vero ita malignus in patriam fuiſſet Emſerus, vt tam grauem ac doctam Orationem, ſi eam ipſe cõpoſuiſſet, nõ potius Germano alicui, q; Placentino (ſi proprium non libuiſſet aſcribere nomen) attribuiſſet? Cur aũt fuiſſet ſibi ipſi tam inuidus & iniquus, vt nomen ſuum (ſi reuera fuiſſet author) tam erudito libro nõ præfigeret, ſed ignoto ſibi atq; alterius & gentis & profeſſionis homini eã gloriã tribueret? Tam candidus eſt autem Emſerus, vt & publice & priuatim ſcripſerit, ſe illius Orationis non eſſe authorem. Quanti autem eam faciat, Teuthonicus eius libellus declarat.

Sunt præterea q; plurima in Oratione illa argumenta, q; in Italia, non in Germania ſit compoſita. Certe non vidit celeberrimas illas omnium ordinũ contra Turcas Romæ ſupplicationes Emſerus. Non vidit Leonem Papam Decimum in templo Prędicatorũ (quod antiquo adhuc vocabulo Mineruæ dicitur) ante altare iacentem & orantẽ. Non vidit Armenorum in vrbe apud eundem Leonem Epiſcopos, Non ludos Agonales. Nec ſcripſit adoleſcens Calipſychiam. Nec oriundus eſt ex familia Comitum Todiſchorum. Nec vnq; profeſſus eſt Ordinem Prædicatorũ. Qua

tu igitur

tu igitur temeritate hanc ei orationem aſcribis? Ne vero et hæc argumenta compoſitis verbis eludas, ecce tibi ipſius Emſeri verba, in ſua ad me Epiſtola. Sub alieno (inquit) nomine nihil ſcripſi. Neq; eñ adeo ignauus ſum miles, vt non aperto Marte pugnare audeam, in re maxime tam honeſta ac neceſſaria. Ipſi aũt mihi tribuunt libellum Thomæ Placentini. Iamq; Philippus Melanchthon, inexpertus rerum, & calentis animi iuuenis, oblique in me torſit reſponſionẽ ſuam. Hæc Emſerus ad me amicum & ſocium pugnę, quẽ vtiq; fallere noluit, cui credidit plęraq; ſecretiora.

Quid igitur putas, bone Philippe, aut dicere, aut cogitare Rhadinum, ſi quando legat iſtam orationem tuam: in qua nihil crebrius dicis, q̃ Hircum, Emſeri arma perſtringens? Apud me ipſum ꝓfecto ſæpe rideo, dum cogito, quanam admiratione cogitabundus perlegeret Orationem tuam Rhadinus, neſciens, cur ipſum toties nominaueris hircum. Niſi forte inde tuum deprehenderit ſtatim (vt eſt vir procul dubio ſagax & acutus) errorem, vbi dicis: Scribit in Lutherum Eccius, ſcribit Emſerus ille, quo heri Rhadinus ſuſurronis vice vtebatur. Quanto autem riſu putas illum & legere, & ſuis oſtendere hæc verba tua? Et Philoſophatũ te non ſegniter crediderim, ſi Philoſophiam docẽt ſyllabarij Grammatici in Proſodijs, quarũ cum tu tot iam annos profeſſor ſis, nunc repente, vel è terra natus, prodis Philoſophus.

Qualis Rhadinus.

Equidem Rhadinum facie non noſco. Ex oratione aũt illa iudico virũ eſſe, genere nobilem, vtpote ex familia Comitum Todiſchorũ, ætate maturũ, moribus grauem, ingenio acutũ, prudentia circũſpectum, omniq; literarũ genere egregie inſtructũ, habitu pręterea religioſum. Vereor itaq; ne cũ indignatione & cõtemptu quodam, & ſecum, & ad ſuos dicat: Ego ne homini huic congrediar, ſenex adoleſcenti, nobilis plebeio, præcoci maturus, feruido quietus, Rhetori Theologus, Philoſophus Grammatico, ſacerdos

prophano

prophano, sęculari deniq; religiosus? Nolo cominisci Phi-
lippe grauiora, quæ forsitan ille inter suos in te grauiter di-
cit. Non est dictu facile, quantum perdideris apud exteros
hoc anno de existimatione tua: scio quid mihi nonnulli ma
gnæ & doctrinæ & iudicij viri scripserint.

Sequeris furorem Lutheri, adeo sane præceps & fer-
uidus, vt alicubi etiam præcurras. Quanta enim temerita-
te vnus tu & iuuenis & Theologiæ imperitus, occurristi
nuper celeberrimæ in orbe terrarum scholæ Parisiensium,
præter calumnias & conuicia, nihil fere armorum ad tan-
tam pugnam afferens?

Dicebas ibi, Lutherum sua sic vndiq; scriptura com-
munisse, in primis autem, in libello, quem inscripsit Adser-
tionem articulorum à Leone X. damnatorum, vt impia
iudicari, nisi ab impijs non possint. Quæ vt legi, dolore sa-
ne & indignatione me affecerunt non mediocri. Arrepto
igitur calamo, cœpi tres primos articulos, ab eo assertos &
communitos, impugnare atq; dissoluere scripturis & ratio-
nibus, eo quidem consilio, vt sic improbatos darem ad te
priuatim, moniturus atq; rogaturus te (quemadmodum
Vuormatiæ propter te maxime rogaueram, mixtis etiam
cũ prece lachrymis, Lutherum) ne adeo præceps rueres in
omne malum: si non velis parcere tibi, non vxori, non li-
beris, non cognationi, saltem patriæ, & bonarum literarum
haberes rationem, ne conculcata religione, patriam exte-
ris, literas Christianis, ita redderes exosas & abominabiles
vt tu merito hinc omnem priorẽ ingenij tui gratiam apud
omnes bonos perdas. Reprehensiones itaq; iam pridem
scriptæ sunt, sed tanta mala, & ea indies grauiora, è Vuit-
tenberga huc affert fama, vt iam nulla neq; spes, neq; opor
tunitas agendi tecũ priuatim sit reliqua mihi. Id modo pub
lice te nunc admonuerim, vt cogites, non esse nimium vel
tuo, vel Lutheri ingenio confidendum, in tot præsertim
absonis & impijs contra cœlum & terram dogmatis.

Certe

Certe, q̄ pueriliter lapsus sit sæpe Lutherus, & is, qui B. Petrum Romę vnq̄ fuisse negat, ex responsionibus nostris propediem videre licebit. Et iam satis videor mihi ostendisse, nimis profecto crassum, pro ingenij tui acrimonia, iudicij tui errorem, quo ex Rhadino fecisti Emserum, ex Italo Germanũ, ex remoto vicinum. Est itaq; certo (vt sic dicam) certius, non Emserum esse Orationis illius authorem. Non enim Lipsiæ, vt reliqua Emseri opuscula, sed Romæ est Oratio illa primum impressa. Catholici autem dolis vestris vti non solent. Non enim vetitis & famosis libellis agunt. Ideo non est opus Impressoribus eorum, vt hæreticorum locum in calce ementiantur, quod vestri faciunt, Vuittenbergæ ascribentes plurima, quæ alibi sunt excusa. Nunc igitur merito, si sapis, sic apud te cogitare debes; si erraui in ipso Authore, quanto facilius potui errare in eius dictis, quibus per calumniam sensum eorũ non assequens forsitan, respondi. Certe, si eiusmodi animo tractabilem te mihi pręberes, non nihil spei foret mihi, te complures in hac responsione tua errores, iuuenili ferocia atq; feruore admissos, agniturum esse. Sed hanc consuetudinem sanę doctrinæ acquiescendi, non habent hæretici, quos tu sequeris & defendis.

Ne glorieris igitur, q̄ non respõdet tibi Rhadinus. Nõ enim in te, sed ad Principes & populos Germaniæ, fidelem & prudentia atq; eruditione plœnam, ac maxime pro tempore necessariam, scripsit Exhortationem, non ludens (vt tu facis) Rhetoricæ artis pręstigijs, sed solidis scripturis docens, & obtestans, ne has errorum scintillas ad incendiũ crescere permitterent, O vatem sapientem & veridicũ. Quantũ em̃ sit nunc istud incendiũ, & libri vestri & furor populorũ, late nimis & manifeste (proh dolor) ostendunt. At iam functus est vir doctus iuxta & pius officio suo. Nõ voluit vane cõtendere, sed salubriter exhortari. Vtinã Germani nostri hęc saltẽ verba eius diligẽtius ꝑpenderẽt.

 Prædico

Verba Rhadini in prima oratione.

Prędico (inquit) ego viri Germani, si istis vos captiunculis irretiri sinatis, atq; Lutherum, vt suo capiti sederit, sacrarum literarũ sensa trahentem audiatis, prædico inq; iterum flens ac dolẽs, tantum intra vestros fines exuscitandũ incendiũ, vt sęuiente framea diuinæ iræ, in detrimentũ quidem certissimũ vestræ gloriæ, sed & in maximũ vniuersæ salutis periculum, sitis venturi, sententiamq; illam comprobaturi, Omnia ꝓspera euenire, deũ ac diuina sequentibus, aduersa spernentibus, tunc demũ amorem erga hanc rempub. meum, inquit, aperte cognoscetis, Martinũq; nullam Germanicę nobilitatis rationẽ habuisse, nullam dignitatis maiorũ, nullam futurę apud posteros glorię, intelligetis.

Hęc verba Philippe habent plus (crede mihi, qui Rhethoricę tuæ neq; anxius, neq; iniquus ęstimator fui) veræ pietatis in deum & in patriam nostram, q̃ habet vniuersa quamlibet longa & venusta Oratio tua. Si tali exhortationi, ante centum annos, acquieuissent Bohemi potius, q̃ aculeatis disputationibus Hussi, atq; Rhetoricis contionibus Hieronymi Pragensis, nunq̃ in tanta mala infœliciter cecidissent. Non tot clades bellicas & alijs & mutuo sibi intulissent & accepissent, Non sustinuissent tot apud exteros opprobria, nõ fuissent tantis abominationibus omniumq; hæresum fœda colluuie cõfusi. Nec tot deniq; infœlices animas in Tartara ad ęternos cruciatus (O Germani, vę vobis, si exemplum hoc non attenditis) demisissent.

Bohemi.

Interim tu Philippe, dum perit, immo ne pereat, patria nostra (quomodo autem non periret, omni religione per Hussiticæ & Pighardicæ impietatis instaurationem calcata?) exerce ingenium Declamationibus, lude scematis, punge cauillis, ride scommatis, conuicijs insulta, calumnijs onera Catholicos, ac decipe mendacijs nostros Germanos: Nihil tamen respondebit tibi (vt puto) Rhadinus. Non enim ita senem, vt adolescentem, decet fictis ludere Declamationibus, Et dicacior es tu, q̃ vt sileas victus: de-

prauatior

prauatior nunc, q̃ vt recte monenti facile acquiescas: forsitan & elatior, q̃ vt doceri velis. Habet Rhadinus pro parte sua omnes, ad quos orationẽ tuam dirigis, iudices. Id q̃d Imperiali edicto, Vuormatiæ nuper edito, constat manifestissime: secure itaq; fruitur nunc, lata pro animi voto sententia, & re iudicata, multo sane prudentior, q̃ vt certam sententiam reuocet in dubium litis & causæ.

Si non vultis esse victi, contra iudices agite, non contra Actorem. Hic enim iam voti compos est, illi reũ tuum nõ modo non absoluerunt, sed ita damnauerunt, vt nõ solum ipse, sed & omnes eius complices, fautores, adhærẽtes & defensores, sint publico Edicto proscripti, tanq̃ bonis omnibus mulctandi, ac vltimo supplicio adiudicandi. Negas ista Philippe? Inspice sententiam Cæsaris, propria eius manu Vuormatiæ scriptã. Lege Imperiale contra vos Edictum. Quęre (si his non credis) ex Nestore tuo, an non sit Lutherus tuus, omniũ Principum statuumq; Imperii vnanimi consensu, à Cæsare nostro, pro hæretico notorio proscriptus & condemnatus. Victi & damnati Lutherani.

Qua tu igitur temeritate, hęreticum tuum, ab vniuersis Ordinibus (quod negare non potes) tam sęcularibus q̃ Ecclesiasticis condemnatum, contra Imperiale Edictũ adhuc vlterius defendis? An non facit proterua tua contra Parisienses Defensio te reum crimine læsæ Maiestatis? Negare non potes: quia post summi Pontificis Cæsarisq;, & omnium Principum sententiam, hæreticum pertinaciter sectaris et defendis. Nunquid vero nesciebas in iudices Parisienses, Lipsiæ Lutherum tuum insigni Theologo & Antanogistę suo D. Iohanni Eckio consensisse? Quo iure igitur nunc & tu inanis defensor, & cõdemnatus tuus reus, contra iudices, quos vestra sponte elegistis, tot iniuriarum plaustris inuehimini, absq; legitima appellatione? Quo autem iure ab arbitris, in quos sponte cõpromisistis, appelletis? Reus læsæ Maiestatis.

Non habet ius appellādi Lutherus.

Sed esto, sit vobis adhuc integrum ius appellandi. Ad quem vero iudicē appellabitis? Ad sedem Apostolicam? At iam pridem ab ea estis condemnati. Et ad barbam (vt aiunt) sententiam vobis dedit Bulla Papalis. An vero ad Cæsarem? Sed estis ab eo Vuormatię ita condemnati, vt bene longam sententiā ipse propria scripserit manu. Nunquid vero ad futurum Concilium? Ita quidem appellauit (quanquam iniuste contra Ephesinæ Synodi decretum & contra Pij II. Iulijq́ II. constitutiones) fugitiuus tuus olim. Vuormatię autem tanto fuit pauore consternatus, immo animi malicia induratus, vt nullis Principum, Episcoporumq́ & Doctorum persuasionibus induci potuerit, vt futuri Concilij acquiescere vellet determinationi. Scit hoc tuus Nestor, sciunt omnes Principes, scit omnis mundus, palam em̄ id attestatur edictum Imperiale. Quin etiā reus & condemnatus ipse, vesana & incredibili quadam impudentia, idem testatur in Actis Vuormatiensibus. Ad quos igitur tandem prouocabitis? Quis est maior in terris iudex summo Pontifice? Quis Cæsare? Quis Concilio? At esto, vel ad minores prouocate iudices. Ad quos autem? Ad Electores Imperij? Inter hos quidem habetis vnū & summum præsidium vestrum. Nos tamen cognitionem eorū minime subterfugimus. Et scimus iam pridem reum tuum ab ijs quoq́ condemnatum esse. An id neges? Sed obstant publica condemnationis testimonia. An vero apud reliquos Germaniæ Principes & Episcopos Appellationis aliquod solatium vobis est reliquum? Id ostendite, si potestis. Nos scimus, quid responderint Vuormatiæ Cæsari: scimus item quid de mente ipsorum contineatur in publico edicto.

In quibus cōfidit Lutherus.

Et non latet nos, in quibus iam omnis sita sit fiducia vestra, Nempe in turba perditorum, qui barbare calcata religione, bonis inhiant Ecclesiasticorum, qui non audiunt dicto vel Pontificis, vel Imperatoris, quibus ius omne in armis est,

mis est, qui lucrum iustitię, vim iuri, arma legibus, fauorem ęquitati præponunt. Hos vos Euangelij Paulique ficto prętextu, scelerate ad seditionem concitatis, ausi suggillare Imperium, contemnere leges, comburere Canones, violare Sacramenta, prophanare sacerdotium, atque omnem prorsus religionem semel conculcare, vt ferocissimorum turba, abiecto & dei & hominum timore & reuerentia, plœno furore in superiores suos irruat, cum hoc sacro Elogio: Dirumpamus vincula eorum, & proijciamus à nobis iugum ipsorum. Sic enim egregie nostis tractare atque accommodare scripturas. Qua tu autem impudentia nunc turbam appellabis, qui hac in defensione tua, retorta in nos calumnia, ita dixisti: Cogitate Principes, quantum cordis, quantum iudicij sit ijs, qui in re sacra multitudinis testimonium valere volunt? An iam oblitus es Gręcę, quam ibi allegasti sententiæ? Psal. 2

Consydera nunc Philippe, quid hac defensione tua contuleris reo tuo. Accepisti aduersam sententiam, condemnatus est reus grauissime, atque adeo proscriptioni, persequutioni, infamiæ, exilioque sęuerissime addictus. Nec vllum in iure vobis reliquum est vel temperamentum, vel solamen aut effugiū. Omnis appellandi vis vobis multipliciter est pręclusa: & iure quidem optimo. Summos enim & legitimos quosque iudices reijcitis cum iniuria. Summum Pontificem impuro atque impio ore nominatis Antichristum, Rom. Imperium inane dicitis esse vocabulum. Et translationem eius à Græcis ad Germanos, audet reus tuus ponere inter opera Antichristi, quod inter cętera opera Antichristi (hęc enim sunt verba ipsius) vel principale & maximū portentū sit. Tu aliquanto quidem modestius es locutus eadem de re, parū tamen honorifice aut decore coram ipsis (vt fingis) Principibus. Hæc aūt sunt verba tua: Nolo (inquis) cauillari, quę de Titulis Rom. Imperij ad Germanos translatis memorat, Nam hi, vtrum fauentibus, an iratis su- Luth. in lib. contra Catharinū

 tis su-

tis superis, Germaniæ contigerint, alij viderint. Mihi certe hoc astu à Rom. Pontificibus hæc primũ natio sub iugum missa videtur. His ne verbis Philippe reo tuo fauorem iudicum, qui Rom. Imperij Electores habentur, aucupes aut emerearis? Certe neq; vere, neq; prudenter hæc verba coram Rom. Imperij Electoribus dixisti, vti docet euentus iudicij.

Nihil est igitur, quod expectes à Rhadino responsum. Iam enim abunde cõsecutus est oratione sua, quod voluit, nempe, vt pro hęretico cõdemnaretur Lutherus. Lude tu quot voles Declamationibus, nos factũ remq; iudicatam attendimus. Ego tamen, ad amouenda vacillantiũ scandala, paucis ad ea quę pro Lutheri defensione copiose dixisti, respõdebo articulatim potius, q̃ ppetua oratione, vbi prolixitas impediret lectorẽ, vt non possit facile discernere, cuinam obiectorũ sufficiens aptetur solutio, aut cui dictorum sua conueniat responsio: Cui deniq; errorũ, calumniarum, mendaciorũ, blasphęmiarũ, atq; aliarum id genus impietatum (qualia tu inexpertus, vt ait Emserus, rerũ & calentis animi iuuenis, orationi tuę admiscuisti plurima) iusta reprobatio accõmodetur. Certe si tu Rhadino particulatim ad singula capita respõdisses, nequaq; haberet eam oratio tua gratiam, fidem et existimatiõẽ, apud cultiorum literarum studiosos (quos vulgo magis trahit & oblectat venustas verborum, q̃ cognitio rerum) quam nunc lęsa non leuiter & religione & animarum salute, passim varijs dicendi scematis apud eosdem inuenit & obtinuit.

Inualida Philippi responsio

Quàm frigide enim respondisti ad Imperij translationem, ad sacerdotum iniurias, ad cõtradictiones Lutheri, ad Ephesinum Decretũ: Et generaliter ad omnia, quæ vir ille doctus p Ro. Pontificis authoritate & solidis scripturis & pbatissimis authoribus apte & copiose deduxit & cõmuniuit? Quoties Entellęos cęstus eius iuuenili agilitate, iam saltu, iam cõuicio, aut ludicro verborum pręstigio elusisti?

Magis

Magis itaq; consultũ fuerit, ad reuelandos reprobandosq; errores & improbitates Orationis tuæ, distincte ad singula respondere, quæ tñ admonuisse sit operæ precium. Absit enim, vt totum temporis frustra insumam, quo priuatis in Emserum, Eckium, Latomũ, aliosq; bonos & Catholicos viros cauillis & calumnijs tuis respondeam. Nam ne publicis quidem omnibus consilium est respondere, sed ijs potissimum articulis, qui vel hæretici sunt, vel scandalosi & imprudentes.

Percurrens itaq; orationem tuam, vsq; ad illud Caput, quod de causa Pontificia inscripsisti, excerpsi quatuor articulorum genera, vt breues adijciam singulis responsiones, donec perueniam ad causam Pontificiam, vbi si commodum videbitur, exactius illi parti respondebitur. Non ea quidem seu fiducia, seu præsumptione, Philippe, vt credam posse me ingenium, eruditionem, dicendiq; elegantiam tuam aut assequi, aut æquare, tantũ abest, vt vincendi animo in his te aggrediar. Agnosco infirmitatem ignorantiamq; meam. Nec mihi contra te arrogo quicq̃, nisi Christianæ religionis fideiq; Catholicæ zelum, sed & hunc vt dei donum agnosco. Et hic ꝑfecto ita me fidentem reddit, vt nõ modo paribus, sed & multo validioribus, doctioribusq;, pro asserenda Catholicæ fidei antiqua traditione cõgressurus sim, q̃ diu spiritus vitæ in me fuerit. Tolle hanc de fide controuersiam, Philippe, reuertere in ouile Petri, immo Christi, redi ad vnitatem Ecclesiæ, redde te nobis ex hoste nouo pristinũ fratrem: Et sancte iurabo ego, nihil fore amabilius mihi Philippo, nihil charius apud mortales ingenio tuo, nihil iucundius lucubrationibus tuis. Q̃ diu aũt barbarissime Lutheri sectæ inseruieris, adhæseris, opem tuleris, quamlibet sis doctus & ingeniosus, mihi pro sacrilego, pro hæretico, pro perfido desertore, & pro capitali Ecclesiæ hoste semp eris. Scribe tu interim in me, quicquid volueris: q̃ diu hæreticus manseris, malo à te vituperari q̃ laudari.

Quatuor. s. mẽdacia, calũnias, blasphæmias et hæreses.

Finis Prologi.

Abbre-

ABBREVIATA CONFVTA-TIO PHILIPPICAE DEFENSIONIS,

per Iohannem Cochleum, ſummatim complectens in hoc libello mendacia XXII. calumnias X. blaſphemias VII.

MENDACIA PHILIPPI MELAN. XXII.

PHILIPPVS.

Lutherus, vir iuxta pius ac eruditus, & optimus ciuis.

COCHLEVS.

SCripſerat iam Babylona ſuam, Aſſertionesq; articulorum, vbi ſunt innumeræ profecto eius impietates, adeo vt Pariſienſes Babylona Lutheri non minus impiam iudicauerint, ꝗ; Alchoranum Mahumeti. Nos quoq; in vtroque libro ꝗ; impie plerunq; ſentiat, in reſponſionibus noſtris plane oſtendimus. Et iam vſq; adeo cunctis Catholicis impius apparet, vt ſumma ſit impudentia, coram Principibus Catholicis eum dicere pium. Quid prodeſt autem eruditum eſſe, qui & ingenio, & eruditione ſua tam furioſe ad omnem abutitur impietatem? Quàm pueriliter tamen lapſus ſit frequentiſſime, luce clarius oſtenderunt, Rhadinus, Catharinus, Eckius & Emſerus. Nos quoq; non paucos errores eius inexcuſabiles deprehendimus. Teſtes aduoco libros.

Lutherū non eſſe bonum ciuem.

Qua vero impudentia Philippe optimum ciuem dicis hominem, totius orbis teſtimonio, ſeditioſum, habitu Monachum, ac ſæculo abdicatū? Certe neq; Politica, neq; Leges, neq; Canones patiuntur eum recte ciuem dici, multo minus optimum, qui tanto eſt Gracchis pernitioſior, quanto maior eſt vrbe vna totus orbis. Quàm indecore autem hunc, adhuc cucullatum de ordine Mendicantium

fratrem

fratrem dixeris ciuem, illud Hieronymi ad Paulinum declarat. Si cupis (inquit) esse quod diceris, Monachus, id est solus, quid facis in vrbibus, quę vtiq; non sunt solorum habitacula, sed multorum? Et in Autenticis Imperator haud vno in loco cauet, ne Monachi aut Monachæ circumeant ciuitatem: ne ad sęcularem vitam remigrent: ne ciuili iudicio subdantur aut experiantur, ne ius habeant testandi: ne deniq; sint amplius rerum suarũ domini, cũ sint dicati deo.

16. q. 1. c. Si cupis. In Aut. Coll. 9. Const. vlt. §. Hæc omnia.

Cum pro Luthero dicimus, pro sacris vestris, pro Christi doctrina dicimus. 2.

Quàm verum sit hoc Philippe, publica nunc instituta vestra declarant, vt interim de libris taceam. Cur demolimini altaria? Cur imagines Sanctorum comburitis? Cur eijcitis religiosos? Cur prohibetis mendicare pauperes? Cur vetatis Missæ sacrificium offerri deo? Cur prophanis & pollutis, immo & sceleratis manibus laici vestri, post temeratas Sanctorum reliquias ipsum sacrosanctum corpus Christi attingunt, sumunt, & absq; confessione præuia irreligiose, velut rapũ aut frustum panis, deuorant? Et, quod prę horrore vix audeo dicere, cur quidam rusticorum vestrorũ in peram suam sceleratissima barbarie condidit corpus Christi, vt referret domum communicaturus vxori? Cur Archidiaconus vester Andreas Carolostadius, cum esset tot annorum sacerdos, Doctor & Prelatus, iuuenculam nuper vetulus ipse duxit vxorem? Sunt ista vel Principum nostrorũ sacra, vel vera doctrina Christi? O leges, O Principes. Hæccine in finibus Romani Imperij fiant impune?

Qualia Sacra Vuittenbergæ.

Docebimusq; nihil alienius à Luthero vnquam fuisse, q; quòd illorum furiosæ voces queritantur, Lutherum perturbare Ecclesiæ pacem, euertere Imperium vestrum, scindere inconsutilem Domimini tunicam. Et hoc genus alia. 3.

Male profecto docuisti Philippe: quia reus tuus nō est absolutus, sed seuerissime post hanc defensionē tuam condemnatus. Certe si bene, hoc est vere, docuisses quæ proponis, non esset reus tuus tam graui sententia perculsus. Possem hic te facile multis & dictis & factis ipsius Lutheri redarguere, sed studio breuitatis, omissis libris eius, ipsorū iudicū potius verba producā, quibus vtiq; iustius creditur, q̄ tibi, defensoris partes agenti.

Verba Cæsaris in Lutherum Vuormatiæ.

Verba Cęsaris ad Principes & Status Imperij ꝓpria eius manu scripta, ista fuere: Meam, inquit, ego vobis sententiā testatam facio, pœnitere me moræ, qui contra ipsum Lutherum & falsam eius doctrinam, procedere tam diu distulerim. In edicto autem Imperiali, post cōplures damnationis causas, hęc quoq; verba directe contra istud mendaciū tuum apponuntur. Et tollit Lutherus penitus obedientiam & regimen. Ac scribit pene nihil omnino aliud, quod non ad seditionem, schisma, bellum, cędes, latrocinia, incendia, & ad totam defectionē à fide Christiana, tendat & deseruiat. En tibi Philippe testes publicos, tanto sane veriores, quanto te Lutheroq; tuo & iustiores, & magis pios atq; fideles.

4. Lutherus Romanensibus prædonibus Germaniam, Ecclesiam mendacibus doctoribus liberauit.

O Thrasones gloriosos. Parū ne fuerat, dixisse, liberabit, q̄d satis impudens fuisset de priuata cuculla ꝓmissum, nisi adderes mendaciū de præterito longe impudentius? A quibus ergo pręd onibus liberauit Germaniā tam repente prępotens ista cuculla? A Romanensibus, inquis. Nihil igitur amplius è Germania recipit Roma? nihil de Pallijs? nihil de Annatis? nihil de Pensionibus? nihil de Dispensationibus, Bullis, priuilegijs, litibus, causis? O liberatorē Germaniæ nouū ac desyderabilē, qui paucissimos nummulos & obulos Indulgentiarū, tam potenti manu extentoq; brachio

chio, Ro. Pontifici apud Germanos (vt ipse ait) seu apud plebem Vuittenbergensis territorij, (vt ego dico) ad tempus haud ita longum, eripuit. In aureis aūt & milibus Ducatorum ne tantillū quidē profuit suis, nocuitue Romanis. Quis non rideat stultissimas vestras iactantias, adeo falsas & ridiculas? Quoties iactitat se fatuus tu⁹, amputasse iam Pontifici caput, promouisse malum, quod nullus regū promouere potuisset: foetere hodie nomē Ro. Curiæ in orbe: languere authoritatem Papalem, muresq; iam & catulos Papæ vellere barbam? O vanissime Gygantū fratercule, ita ne facile est, debellasse & expugnasse, quin etiā obtruncasse caput & pastorē vniuersalis Ecclesię, aduersus quam ne inferorū quidē portæ possunt præualere? Credite mihi, si vestrum ꝓcedat (q̊d deus ꝓpitius auertat) consiliū, nullos quidem Indulgentiarios prædones habebit Germania: rapinis autem, deprędationibus, latrociniјs, incendijs ac sacrilegijs ita plęna erūt omnia cito, vt præ Germanorū calamitatibus (quas vel cogitare horret animus) fœlices queant dici (vt stulte eos dixit Lutherus) Gręci & Bohemi. Inde enim cō secuta ē rusticorum seditio & tumultus, & nondū est finis.

Doctorum interim ac bonorum omniū suffragio vincit Lutherus. Immo diuino beneficio vincunt sacræ literæ, quibus ille solis fidit.

5. Nō vincit, sed vīcitur Lutherus.

Vincit quidem impetu furoris & conuiciorum nymbis, addo & allegationum fucis: At vincitur interim sana interpretatione scripturarum, vincitur testimonijs patrum, vincitur decretis Conciliorū, Decretalibus Pontificū, legibus Imperatorū, totius orbis iudicio, ipsa deniq; (qua nihil est fortius) veritate, Catholicęq; fidei petra. Quomodo eñ vincit Lutherus, quem in ista causa condemnauit primum legitimus Ordinarius, idemq; supremus in terris Iudex, sedis Apostolicæ Pontifex, cum tanto eruditorū (quos habuit assessores) senatu? Deinde condemnauerunt eundem

electi ab ipso arbitri theologi Parisiẽses. Nõne vero & isti eum cõdemnauerunt iudices, ad quos tam speciosam hanc scripseras defensionem? Nonne reuocauit iam pleraq; Lutherus ipse, in quibus te iudice vincit? Agnoscis ne Philippe hæc tua ad Oecolampadium verba? Apud nos (inquis) magnæ admirationi fuit Eccius, ob varias & insignes ingenij dotes? At non solent magnæ admirationi esse victi, sed magis victores.

6. Lutherus patriam Romanensibus fraudibus liberauit, qui sæculorum aliquot errorem vnus his temporibus ausus est conuellere.

Ergo nullas amplius intentant fraudes Curtisani? Quas tu hic fraudes vocas Romanenses? Indulgentias, inquies, opinor. His autem nondum liberauit Germaniam Lutherus. Deuoti adhuc visitant Stationes, adhuc nummulos, in Anniuersarijs saltem dedicationibus templorum, contribuunt populi, adhuc in contionibus sacris è Cathedra aut pulpito indulgentiarum summam pronũciant sacerdotes, excepto vno, & eo quidem angusto Saxoniȩ angulo Vuittenbergensi, qui væsana & ridicula quadam superbia, aut omnis vult esse terra, aut vniuerso terrarum orbe sapientiorem sese putat, nouasq; nunc leges suas per Germaniæ vrbes, ab alumnis suis & triobolaribus institoribus circũferri gaudet.

7. Hæc præfari libuit, ne hunc tumultus huius auctorem esse putaretis.

Non credidissem Philippe de te alteri, sic posse te absq; omni fronte dicere, præsertim coram tantis, apud quos ficte Declamas, Principibus. Dispereã, si vllus est per omnẽ Germaniam sartor aut tonsor, qui huius rumoris & tumultus alium sciat aut credat auctorem esse, q; Lutherũ. Quòd si alius est nouitatis & factionis huius auctor, cur supprimis no-

mis nomen? Cur laici nunc adeo petulanter per omnes pla teas interrogant ſacerdotes, an ſint Lutherani, an ſint Martiniani? Quid ſi Lutherus ipſe non ſemel authorem huius rei ſe prædicat, gaudetq́ꝫ et gloriatur noſtro de timore?

> Nam quid hic aliud agit, niſi vt, quę bene ac religioſe à maioribus cōſtituta ſunt, ne patiamini nouis impiorum dogmatis ac legibus antiquari. 8.

Hoc nos Philippe ſerio & vere petimus. Tu aūt Rhetorice tantum, verbis ſcilicet fucatis, & corde non puro, ſed ficto, ſic dicis. Nos certe cupimus atque efflagitamus maiorum religioſa inſtituta ſeruari; vos autem barbariſſimis nouitatibus omnem & ciuilem & religioſam vitā turbare & euertere ſatagitis. A maioribus enim noſtris intra quadringentos annos (de quibus tu calumnioſiſſime quiritaris) multa ſunt fundata Collegia ſacerdotum, multa inſtituta cœnobia religioſorū fratrum, multa cōſtructa Monaſteria ſacrarum virginum, multa erecta ſacella, Templa, Altaria: & hæc omnia ad cultum & honorem Dei ordinata, atq́ꝫ varijs exornata ſtatuis imaginibusq́ꝫ Sanctorum, vaſis veſtibusq́ꝫ ſacris, Tapetis, Luminaribus, Candelabris, Organis, Miniſtris; atq́ꝫ id genus alijs, ad laudem Dei hominumq́ꝫ deuotionem excitandam accommodis. Hæc nos Philippe petimus ſeruari, non barbarice (vt vos agitis) aboleri, non comburi, non in Pighardicas cryptas conuerti. Maiorū Inſtituta.

Vos autem ſceleratis auſibus diruitis templa & altaria, abrogatis Miſſas, prohibetis ſacrificia, comburitis omnia pene ſacra, libros, ſtatuas, reliquias ac veneranda (proh ſcelus barbariſſimum) oſſa Sanctorum, Clero interdicitis horas Canonicas, Vigilias, Miſſas, ſacrificia ſacerdotibus, conſecrationes & Ordinationes Epiſcopis, populo Sanctorum feſta, venerationes, memorias; lugentibus exequias mortuorum. In mortuos autem ita crudeliter ſæuitis, vt Barbaries Lutheranorum.

nulla sub sole natio vnquam de mortuis tam barbare statuerit. Ridetis nanque sepulturam, cœmiteria prophanatis, Exequias contemnitis, Missas pro defunctis execramini, tollitis anniuersarios, & miseris animabus neque cœlũ, neque terram, ne infernum quidem conceditis: fomite enim excluditis eas à cœlo, morte à terra, & purgatoriũ dicitis esse figmentum. Quis obsecro putasset, tantam barbariem à te bonarum literarũ professore comprobari & defendi?

9. Nam quòd Lutherum agitare animo causaris, vt extinguatur sacerdotium, è libris eius cognoscere non potuisti. Si quidem nulla est aduersus sacerdotes ab hoc conscripta litera.

O impudentiam singularem. Quis enim nescit hac vna re Lutherum turbæ gratiam sibi comparasse, quod non solum simplices sacerdotes, sed etiam prelatos, Episcopos, Cardinales, atque adeo & summũ Pontificem tot conuicijs incesserit, tot criminationũ formulis dehonestauerit, tot denique calumniarum plaustris aceruatim obruerit? Testes mihi sunt omnes boni. Quin immo testem produco Lutherum ipsum cõtra tam insigne, sibique ingratum & proposito eius penitus aduersum, mendaciũ, cũ in diuersis opusculis, tum vero precipue in Babylone, in Assertionibus presertim Teuthonicis, in visione Danielis, & de abroganda Missa.

10. Nec de priuato sacerdotum luxu vspiam vel literam scripsit.

Quanto salubrius fuisset, reprehendere sacerdotum luxum (qui cõtra Canones adeo frequẽs, proh dolor, & multus est vbique) quam tot barbaris hæresibus inficere populum dei. Mihi profecto non leue argumentum est hinc, quod os & Organum Tartarei Iouis sit Lutherus, qui adeo furiose bacchatur contra Missam, cõtra horas Canonicas, contra sacros ordines, breuiter contra totam religionem & omne

opus

opus bonum. Adhortatur vero ad vxorandũ sacerdotes, ad nubendum Moniales, ad abijciendam cucullam Monachos, ad calcanda vota, ad omnem vitę regularis dissolutionem. Atq; vt laicos in omne vicium præcipites agat, damnat bona opera, soluit ieiunia, liberat à Confessione, abolet idiotarum libros imagines, ridet legendas Sanctorum, meriti & satisfactionis vocabula delet: breuiter oẽm vitæ turpitudinem sub fidei & Christianæ libertatis nomine propinat, vt inferorum regi Satanæ, domino suo, velut impiger seruus & satelles tanto amplius, tot animarũ perditione, pręstet obsequium, regnumq; amplificet infernale, vti & reliqui fecerunt hæretici.

Neq; tamen verum est protinus, quod tu hic asseris. Sępissime enim sacerdotum vicia tangit, non eo sane studio, vt eos rep̄hendendo meliores faciat, sed vt laicis inde magis inuisos reddat. Nolo cõmemorare, ea quę scripsit in Emserũ, in Syluestrũ, in Caietanũ, in Colonienses, Louanienses, atq; in optimos quosq; Catholicæ fidei assertores. Neq; ea producam, quæ plurima contra sacerdotes Teuthonice scripsit, ad Nobilitatem Germanicam, in Aluendensem, in Assertione articulorum. Omitto & Latinas, numero pene infinitas, criminationes Ecclesiasticorũ, in Babylone, in Assertionibus in Bullam, & in alijs eius opusculis, quæ iam videras Philippe, dum hæc scriberes. Vnũ adduco locum ex præliminari in Syluestri Epitomen Epistola. Nunc vale, inquit, infœlix, perdita & blasphęma Roma, peruenit ira Dei super te, sicut meruisti in finem, &c. quæ citra pudorem recitari non possunt.

Bellum est Luthero, cũ praua doctrina, cũ impijs dogmatis, non cum priuatis sacerdotum vicijs, quę certe non dissimularet, si ordini parum ęquus esset. II.

Iam diximus Philippe, cum quibus belligeretur Lutherus. Non sane cũ praua doctrina, quã disseminat latissime.

Non

Non cum impijs dogmatis, quæ vndiq; ab hęreticis antiquis colligit & mutuat. Non itē cū vicijs, quæ tam studiose dissimulando fouet; sed bellū sine fine gerit cū doctrina orthodoxa Conciliorum, cum dogmatis Ecclesiasticis, cū Ecclesia Catholica, cum meritis Sanctorū, cum virtutibus hominum, cum Missa, cum ieiunijs, cum cultu Dei vniuerso. Hæc expugnare cupit, non vicia, non falsas doctrinas, quibus tantopere patrocinatur. Quàm vero ęquus sit Ordini sacerdotum, scit omnis Germania, testantur eius libri. Ego vt breuis sim, pauca ex publico & Autentico Cæsaris nostri Edicto verba producam. Et tractat (inquit Imperator) Lutherus non solum sacerdotalem statum & Ordinem contemptissime, sed conatur & sæculares laicorum personas concitare, vt manus suas in sanguine sacerdotum lauent.

12. Nam vt ex animo Lutherus vult Ecclesiasticæ disciplinę consultum: ita nihil tam anxie deprecatur, q̄ ne vi ac tumultu, immo ne vllis humanis præsidijs res tentetur.

Ausim Philippe iure iurando affirmare, quòd nō scio alium, ab initio religionis nostræ in hanc vsq; horam, hęreticū, qui adeo impie & impotenter impugnauerit omnem prorsus disciplinam Ecclesiasticam, sicut impugnat Lutherus. Quid enim præ Lutheri machinationibus & insolentijs fecit Nouatus? Quid Donatus? Quid Macedonius? Quid Iouinianus, Pelagius, Celestius? Arrio adhærebat Imperator Constantius, Reges gentium, Prouincię Romanorum, in Asia, Aphrica & Europa: plęraq; item Concilia, iam. CC. iam. CCC. Episcoporum: At nusquam talia dixit, scripsit, aut fecit, contra Rom. Pontificem, qui ad extremum pene solus ei resistebat, aut contra omnem Ordinem & disciplinam Ecclesiasticam, qualia dicit, scribit & facit superbus & furiosus tuus Lutherus, qui Canones

Eccle-

Eccleſiaſticę diſciplinæ combuſſit, Sacramenta aut tollit penitus, aut prophanat impie, ſacrificia prohibet, & omnem cultum diuinum in cryptas Vualdenſium abominationũ conuertit.

Sed vt breuis ſim, hoc duplex mendacium tuum duobus Lutheri dictis, quæ vtiq; priusq̃ hæc ſcriberes legiſti, conuincam. Quorum prius è Babylone, poſterius ex Epiſtola poſt Epitomen appoſita, profero. Verba Babylonica ſunt hæc. Ex quibus fit, inquit, vt is, qui non prædicat verbum, ad hoc ipſum per Eccleſiam vocatus, nequaq; ſit ſacerdos. Et ſacramentum ordinis aliud eſſe non poſſit, q̃ ritus quidam eligendi contionatoris in Eccleſia. Quare eos qui tantum ad horas Canonicas legendas & Miſſas offerendas ordinantur, eſſe quidem Papiſticos, ſed non Chriſtianos ſacerdotes. Itaq; horales & Miſſales ſunt ſacerdotes, Id eſt idola quędam viua, nomen ſacerdotij habentia. In Epiſtola autem ſic argumentatur: Si fures (inquit) furca, ſi latrones gladio, ſi hæreticos igne plectimus, cur non magis hos magiſtros perditionis, hos Cardinales, hos Papas, & totam iſtam Romanę Sodomę colluuiem: quę Eccleſiam dei ſine fine corrumpit: omnibus armis impetimus, & manus noſtras in ſanguine iſtorum lauamus? Hæc ſunt Philippe Euangelica & Apoſtolica Meſſiæ tui dicta, tum pro diſciplina, vt ais, Eccleſiaſtica, tum contra vim ac tumultum. O furor, cęcitas, & impudentia incredibilis.

> Atq; o vtinam, o vtinam non fruſtretur conatu ſuo Lutherus, qui plane non aliud ardet, niſi ad ſtudiũ Euangelij pias mentes inuitare. 13.

Quàm piget me Philippe huius imprecationis tuæ tã ſcelerate, mendacijq; tam fucati. Scelus eſt profecto nefarium, pro hoſte publico & patriæ & religionis ſic precari, vt deus conatus eius vſq; adeo ſanguinarios (vt iam vidi-

d mus)

mus) adiuuare dignetur. Mendacium item est nequissi-
mum, eiusmodi conatus Euangelij prætextu commenda-
Pro. 24 re. Memento quæso, scriptum esse: Qui dicũt impio, iustus
es, maledicent eis populi, & detestabuntur eos tribus. Qui
arguunt eum, laudabũtur, & super eos veniet benedictio.
Absterreat te illud saltem, quod eloquentissimus ait ꝓphe-
Esa. 5 ta: Vę qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponen
tes tenebras lucem, & lucem tenebras.

14

Falli ergo Lutherana interpretatione non po-
testis, si scripturas ipsi, quod titulis vestris & sacris
debetis, accurate cognoueritis.

Vbi scriptũ est quęso, Lutherana interpretatione nos
falli non posse? Est ne Lutherus Deus, aut veritas? Certe
omnis homo falli potest, & fallere. Qua tu igitur ꝓcacitate
ais, Lutherana interpretatione falli non posse Principes? Si
Origenis, Cypriani, Ambrosij, Hieronymi, & id genus alio
rum interpretatione aliquãdo fallimur, vt vos dicitis, quid
est, ꝙ Lutherana interpretatione falli nõ possimus? Recte
Pro. 21. ꝓfecto scriptum est: Vir impius procaciter obfirmat vul-
tum suũ. Si tam absurda mendacia infrunito vultu dicis ad
Principes, quid nõ audeas dicere ad priuatos & ad vulgũ,
pręsertim ad credulam nouitatũ Samariæ vestræ populũ?
Q; sapienter vero dicis, titulis et sacris suis debere Princi-
pes, vt scripturas accurate cognoscant? Quid faciant quę-
so Episcopi, quid sacerdotes, si Principum est officium, ac-
curate nosse scripturas? Si Hieronymus perpetuo lxx. an-
norum studio, nondum apud te promeruit, vt satis accu-
rate scripturas cognouisse dicatur: nõ enim vbiq; interpre-
tationibus eius acquiescis: quomodo tu dicis Principibus,
qui non in solitudine & ocio degunt, sed grauissimis Reip.
curis distracti, sine quiete semper in turba versantur, Ve-
stris debetis titulis & sacris, accurate cognoscere scriptu-
ras?

ras? Certe non de Principibus,ſed de ſacerdotibus per pro phetam ait Dominus,Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcienti- am,& legem requirent ex ore eius. Non igitur ad Princi- pes,ſed ad ſacerdotes, maxime vero ad ſummũ Pontificẽ Mala.2
pertinet iudicium de interpretatione ſcripturarũ. Ait enim Deu.17
Dominus; Si difficile & ambiguum apud te iudicium eſſe proſpexeris inter ſanguinem & ſanguinem, cauſam & cau ſam, lepram & non lepram, & iudicum intra portas tuas videris verba variari,ſurge et aſcende ad locum quem ele- gerit dominus deus tuus, veniesq; ad ſacerdotes Leuitici generis,& ad iudicem,qui fuerit illo tempore, quęresq; ab eis, qui iudicabunt tibi iudicij veritatem. Et facies quod- cunq; dixerint,qui præſunt loco, quem elegerit dominus, & docuerint te iuxta legem eius,ſequerisq; ſententiam eo- rum,nec declinabis ad dexterã,neq; ad ſiniſtram. Quid ad hæc dicis Philippe? Cur nõ ſequitur Lutherus tuus ſenten- tiam iudicis? Cur tanto furore declinat ad ſiniſtram Huſſi- tarum? Cur tu non potius Hieronymo q̃ Luthero credis?

Quomodo veriſimile eſt,Lutherum Indulgen- tias malignitate animi damnaſſe, cum id coëgerit Euangelij autoritas? 15

Quam tu rurſus Euangelij autoritatem ſceleri prętendis & impietati? Vbi damnat Indulgentias Euangeliũ? An
non fatetur Chriſtus ſe miſſum eſſe, ſanare contritos cor- Luc.4.
de,prędicare captiuis remiſſionem ſeu (vt legitur in Eſaia) Eſa.61
indulgentiam? An non dixit Petro, Quodcunq; ſolueris Mat.16
ſuper terram,erit ſolutum & in cœlis? Item,Non dico tibi Ibi.18
ſepties, ſed vſq; ſeptuagies ſepties. Vbi autem dicit Chri- ſtus,aut Apoſtolus,q Babylonicus tuus ait Lutherus, In- dulgentiæ ſunt adulatorum Romanorum nequicię? Hoc tamen dictum vult ille ſummam eſſe ſententiæ ſuæ,reuoca tis turpiter,atq; condẽnatis per ſemet ipſum ad ignẽ, omni bus alijs libris ſuis, quos vnq̃ ſcripſerit de Indulgentijs.

16. Vt vincas Lutherum, nondum Christum, pro quo hic dimicat, vicisti.

Quàm egregie dimicet pro Christo Lutherus, res ipsa iam docet, & noua vestra ordinatio. Tanta enim est abominatio, vt ipsi iam laici vestri vicini, calamũ arripiant, & cõtra impietates vestras incipiant scribere. E quibus mihi nuper vnus pientissime scripsit lingua Teuthonica, fore, si nos diutius ad eiusmodi scelera vestra taceamus & oscitemus, vt etiam marmora clamare incipiãt. Cui ego sane pro excusanda desidia nostra, conquerar vestris de insidijs & iniurijs, ac iniquitatẽ & loci & tẽporis, meamq; necessitatẽ ei fideliter narrabo. Iã eñ XIIII. mẽsibus, posteaq̃ sceleratam Babylona vestrã vidi, hoc potissimũ egi, vt meã pietatem qualicũq; studio & lucubratione, pro Catholicæ fidei defensione excitarem, pascerem, exercerem. Quid interim laborum, discriminum, coutumeliarum, insidiarumq; pertulerim, Deus scit. Sed & hodie parum tutus incedo, licet raro exeam domo, nisi ad Ecclesiam è regione proxime positam. Si ex Euangelio eiusmodi insultationes & insidias discitis, fateor profecto, nos tale Euangelium non colere, ne sci re quidem: Scimus autem non ita egisse Christum & Apostolos.

17. Spiritus est enim Domini, quem laudamus, non Lutherus. Nec ille modo, qui Danielem, sed qui & Heliam excitauit aduersus sacerdotes Baal, perinde atq; hunc videmus aduersus pseudo theologos inflammatum.

O laudatorem impudentem. Quem obsecro alium tot mendacijs hic laudas q̃; Lutherum? Si ergo spiritus Domini est, non Lutherus, quem laudas, Cur Lutherũ dicis? Nunquid vero homo est spiritus Domini? O vanissimi Cataphryges & Montani, tot ne seculis Ecclesiã Dei destituit spiritus Domini, vt hoc primum triennio in hanc scelera-

tam

tam & iam exutam atq; abiectam cucullam descenderet? Mat. 10
Vbi est ergo illud saluatoris: Non vos estis qui loquimini, Ioh. 20.
sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis. Item: Acci- Act. 1.
pite spiritum sanctum, Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: et quorum retinueritis, retenta sunt. Spiritus eñ domini deus est. Luther9 vix homo dici meretur. Ita enim de eo Imperiale loquitur Edictum: Vnicus iste, nō homo, sed diabol9, sub specie humana, in assumpta cuculla, varias summe damnatorū hæreticorū hęreses, quę longo iam tēpore obliteratę fuerunt, in vnam nunc lernā fœtidissimam congregauit. Desiste igitur Philippe, vano verborum crepitu tam impudēter laudare, quem iudices ipsi, quibus ista dicis, grauissime sic condemnauerunt, rem ipsam attendentes potius, q̄ inania tua verba. Nihil habet spiritus Domini cum Luthero aut spiritu Lutheri commune. Fructus enim spiritus domini est (vt ait Apostolus) charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, lōganimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. Fructus aūt spiritus Lutheri est (vt nunc apertissime videmus) schisma furor, seditio, rixa, ferocia, superbia, ira, proteruia, hæresis, barbaries, crapula, crypta deniq; Pighardica, quæ neq; sacerdotem, neq; Monialem à coniugio vetitoq; concubitu cohercet.

Verba Edicti Imp.

Gal. 5

Atq; horum (Thomæ scilicet, Scoti, Aegidij, Francisci & Alberti) comparatione, Lutheri authoritatē censes eleuari. Quos luce meridiana clarius est, bis sedecim pedibus ab hoc vinci, si de ingenij acrimonia, de eloquentia, de humanioribus & Cyclicis disciplinis contendatur. 18.

Non contemno Philippe acrimoniam Lutheri, non eius eloquentiā, non quamlibet disciplinam. Tametsi constet nūc, sole ipso clarius, his illum esse abusum pessime, ad seditionē, ad inobedientiam, ad hæreses, schismata, blasphe

 mias,

mias. Sed ꝙ tu nouum hunc hominem, & eum quidem furioſiſſimum ſimul et turbulentiſſimum, tantis viris, qui iam pridem ſunt extra, immo ſupra omnem liuoris & detractionis aleam, in cœlo poſiti, non ſolum confers, ſed etiā præfers, parum facis ſapienter, immoderato concitus affectu. Audi queſo, quanto ſanius, veriuſq; ac eruditius de ipſo iudicet Pariſienſis quidam vir, nobilitate, ingenio, literis & Grecis & Latinis, atq; multijuga eruditione clariſſimus. Sic enim in priuata ad paruitatem meam Epiſtola ſub calcem ſcripſit: Homo (inquit) nimirum ingenij impotentis. Qui cum è Periſtylio abdito, abſtruſaq; Exedra, in ſcęnam ſua vi productus eſſet, primos actus fabulæ, mirificos ſimul & graues, Cuneorum plauſu & admurmuratione, Orcheſtræ etiam conniuentia & aſſenſu non nulla ex parte exceptos, Dira ad extremum Cataſtrophe auerſandaq; cluſit, ita, vt totius Caueæ reclamatione, confidentia, propemodum veſana, ilicet obruta ſit. Hæc ille. Talia vero de Thoma, Scoto, alijſq;, quos contemnis, nuſquam legiſti.

19 Spiritui ſancto iraſcere, non Luthero, ſi quid hoc offenderis.

O blaſphemum horrendumq; mendacium. Nam per ſpiritum ſanctum diffunditur (vt ait Apoſtolus charitas
Rom. 5 in cordibus noſtris: Per Lutherum vero diffunditur odiū in ſacerdotes, contumelia in Monachos, ſtuprum in virgines ſacras, ſacrilegium in ſacra vaſa, impietas in Miſſam, ſcelus in Sacramenta, breuiter turpiſſima barbaries contra omnem religionem in populum dei.

20 Euangelio pie ſuperbit Lutherus, quomodo ſuperbiebat & Paulus, cum Cephan, minime ignobilem Apoſtolum, palam inceſſeret.

[illegible]t.11 Diſcite à me (inquit in Euangelio Chriſtus) quia mitis ſum

tis sum & humilis corde. Nusquam profecto aut superbire, aut incessere docet Euangelium. Vbiq; vero & humilitatis & modestiæ præ se fert exempla. Non vult contemni aut scandalizari pueros, multo minus senes. Scriptum est autem; Contritionem præcedit superbia, & ante ruinam exaltabitur spiritus. Et in Psalmis ait Propheta; Tu humiliabis, sicut vulneratũ, superbum. Certe neq; Hieronymus, neq; Augustinus (inter quos tamen longa fuit de isto facto Pauli contentio) dixit Paulum aut superbisse, aut incessisse Petrum. Sed impij Porphyrij sunt eiusmodi calumniæ. Non enim procaciter incessere præsumpsit Paulus Petrum, quem & veneratus fuit semper, & cum eo præcipue contulerat de Euangelio. Sciebat eum non frustra dictum esse à Domino Petrum & ouium pastorem. Vos autem, vt Euangelio, ita & Paulo, atq; omni ferme scriptura, ad omnem barbariem & impietatem nefarie abutimini.

Mat. 18
Pro. 16.
Psal. 88
Mat. 16
Ioh. vl.

21. Lutheri vos prudentia hactenus tam misere cruciat; cum nihil non caute, nihil non sapienter facit ac dicit.

Qualis sit Lutheri tui prudentia, ex dictis supra intelleximus, sed & Rhadinus, Catharinus & Emserus abunde scriptis suis declarauerunt. Si hos contemnis, ecce tibi verba Cæsaris, propria eius manu scripta. Constat (inquit) fratrem vnum tantum sua quadam opinione deceptum, hallucinari, quæ contra totius Christianismi sententiã est, tam eorum, qui ante acto tempore nos supra mille annos præcessere, q̃; eorũ, qui nunc viuunt, &c. Mirũ est autem, si nihil non caute facit & dicit Lutherus, q̃ toties contrarius est sibi ipsi. Scin tu Philippe, quàm frigide super hoc responderis Rhadino? Quid autem respondeas Catharino? Quid Emsero? Quid mihi, qui tot eius turpissimas

reuocatio-

reuocationes,contradictionesq; coarguimus? Ego profecto sanctissime iurare ausim,tam furiosum & incautũ scriptorem antea me vidisse,audisse aut legisse nunquam.

22. Atq; ita dimicat vobiscum,vt obiecto suo corpore, id quod serpens solet, capitis, hoc est, Christianæ doctrinæ gloriam adserat.

Verbis quidem ita ferocit ad plebem Lutherus, Sicut in Teuthonicis scripsit contra Eckium,dicens: Vtinam dignus essem, vt propter tales quoque articulos, quales habuit Iohannes Hus, comburar,dilacerer, conterar, discerpar vel contumeliosissime. Et si mihi mille collis res ea constaret,omnia impenderem.Et Latine in Bullam Apostolicam ita scripsit;Melius est,me milies occidi, quàm vnã syllabam damnatorum articulorum reuocare. Cæterum re ipsa,nihil vult minus, q̃; occidi; immo muliere ac lepore meticulosior est,ad quodcunq; periculum sub iudicibus re ac serio subeundum. Scribo expertus. Vuormatiæ enim comperi, q̃; leporino sit ad pericula animo Goliath iste.. Neq; latet me,qua trepidatione prius Augustę à Cæsareis (quod imprudenter omiserat) impetrauerit saluum conductum,ope ac intercessione amicorum. Quantis autem cautionibus,vt Vuormatiam iret,& inde rediret tutus,saluum extorserit cõductum, sciunt, qui rebus ipsis tot dierum consultatione interfuerunt. Et in Edicto id non obscure narratur. Vanissima est igitur hæc tua Philippe iactantia.

Post hæc mendacia confutata, excerpsi atq; etiam redargui ingentem calumniarum numerum,quibus petulanter ac maligne traducuntur pia Theologorum studia, & cum ijs pariter Philosophia, præsertim Ethica, Aristoteles item & Plato cum Academijs & publicis scholis. In summa ait, Philosophiæ ac Scholasticis literis deberi quicquid

est in

est in Republica Christiana publicorum ac priuatorũ malorum. Et Ecclesiam ita prostitui Philosophia, vt cum infandis etiã Sodomę libidinibus certemus. His partim verecundię, partim breuitatis gratia nũc omissis, decem tantum vltimo loco positas, hic adijciemus calumnias.

EX XCII. CALVMNIIS IN SCHOlasticos Theologos editis, X. nouissimæ.

Et quia ab opibus ac delicijs vestris ęstimari doctrinam vultis, quęso Paulum audite, huius iudicij vestri Basanon, cum scribit, Multi ambulant, &c. Quorum deus venter est, &c. I.

Basanos, lapis, quo fabri aurum explorãt.

NIsi iuuenis esses Lutherinę conscientiæ, nequaq̃ ita calumniose inuidiam astrueres, odiumq́ in proximum, cõtra omnia Christi & Pauli pręcepta. Nũc quidẽ rides, applaudente facetijs tuis turba Lutheranorũ. Sed scriptum est, Risus dolore miscebitur. Et paulò post, Qui calumniatur (inquit Salomon) egentem, exprobrat factori suo. Doleo equidem, te nobili ingenio tuo vsq; adeo pessime abuti. Constat sane apud omnes, minus indulgere ventri Theologos (qui vulgo pallidi sunt & macilenti) q̃ fortasse vllum faciat genus hominum. Tu tamẽ, tanq̃ sint crapula perditissimi, delicijsq́ effœminatissimi, maioribus literis in eos scribis illud Apostoli, Quorum deus venter est. Atq; vt adhuc insignior sit hæc iniuria, adnotas in margine, Animalia ventris Theologastri. Est hæc modestia Christiana? Paulina doctrina? Charitasq́ fraterna? Pro.14.

Paulus dolet, esse, qui rem ventris agant. Vos autem de voluptatibus vestris Christiani, si dijs placet, videri vultis. II.

Nequaq̃ est ita Philippe, nos & esse & videri volumus

Christiani,nō verbo tantum,vt vos,sed potius re ipsa.Hoc sane fit,quod diu sumus Ecclesiæ Catholicę membra vnita & viua,non pręcisa & mortua, vt vos, qui vos sponte vestra separastis à corpore Christi, propter crypticas & barbaras hæreses,extra septa Christi, asserendas. Et iam etiam reluctantes pręcidit vos,velut putrida membra,summus Pon

Col. 2 tifex. Quia non tenetis caput,ex quo totum corpus(vt ait Apostolus) per nexus & coniunctiones subministratum & constructum, crescit in augmentum Dei.

Aialia ventris.

Sed videamus breuiter,vtri magis agant rem ventris. Puto autem rem ventris præcipue consistere in gulę lumborumque voluptatibus.Nos quidem ieiunia sacra , contra gulam instituta obseruamus,& obsęruanda esse docemus, Vos contrarium & obseruatis & statuitis . Nos statis diebus à carnibus ouisque abstinemus . Vos & in Quadragesima & sextis ferijs iuxta & carnibus & ouis vescendū esse docetis . Nos Matrimonium vt Sacramentum colimus, omnemque libidinis actum , præter coniugale debitum damnamus. Vos & sacramentum esse negatis Matrimoniū, & sublatis consanguinitatis Affinitatisque impedimentis, promiscuos cryptarum incestus instituitis. Videsne igitur nunc, vos multo magis quam nos,curare,quæ ventris,& quæ sub ventre sunt?

III. Num obscurum est,aliū Christum,alium Christianismum , doceri ab istis bene pinguibus magistris,quàm docuit ille quondam Euangelus noster Paulus?

Absit à nobis,qui non aliud docemus Euangelium, quam quod docet Paulus & sancta mater Ecclesia. Vos aūt habetis & prædicatis nouum Christum,et nouum Christianismū; noua æditis Euangelia, & nouas Christi vestri passiones, Hymnos & Prosas, Nos Petri sedem,& fidem ore Pauli (vt ait Cyprianus) laudatā sequimur & agnoscimus, vos cryptam scelerum hæresimque Vuiclephicam, barbare tra-

Cyp. in Episto= lis, lib. 1. Epist. iii

ditam,

ditam, venuſtate verborum, vitiorumq́ licentia commendatis & inſtauratis. Quid mirum igitur, ſi vobis fauent (vt in Iouinianum ſcribit Hieronymus) craſſi, nitidi, dealbati, formoſi, calamiſtrati, & qui rubentibus buccis, compoſitoq́ crine, vel ſubant in hortis inter adoleſcētulas, vel grunniunt inter Pighardicas ſues in cryptis. Nam ita potenter amplificatis Veneris regnum, vt non ſolum ſacerdotibus, ſed & Monachis Monialibusq́ connubij iura concedatis, ac Sardanapali mores ita repræſentatis, vt non ſolum ieiunia floccifaciatis, ſed etiā omnia opera noſtra bona dicatis eſſe peccata, ideo nihil ꝓdeſſe opera, ſed ſolā fidem. Edant ergo, bibant & ludant, modo credant, continuo ſalui fient. Hier. in Iou. li.ii c.fi.

Nos aũt triſtes, pallidi, macilenti, velut exules & peregrini, ac plane captiui nunc inter vos verſamur: quos veſtri aut quęrunt ad necem, aut reſeruant ad famem & opprobria, quoniam ſcriptis veſtris dicimur Idolatrę, Miſſales & Horales ſacerdotes, raſi & oleati ꝓphetæ Baal, idola viua, laruę & Lamię, & quid non? Breuiter digni, in quorum ſanguine lauetis manus veſtras: non ſane ob aliud, niſi ꝙ hęreſes veſtras nolumus approbare. Vexatio ſacerdotum.

Plus, inquis, impudenti, ꝙ̄ verecundis creditis,
Etiam per gratias. Nam verecundos tu vocas,
quos Euangelij puduit. IIII.

Ita ne puduit Euangelij Doctores noſtros? An non docuerunt Euangelium publice, & in ſcholis & in contionibus? Cur toties in libris ſuis Euangelium allegat B. Thomas? Quid ſibi vult ipſius in Euangeliũ cathena illa aurea? Et vnde nobis receptiſſima illa cōſuetudo ſignandi cruce frontem, osq́ & pectus, dum in Miſſa legitur Euangeliũ? Quomodo ad Euangelij lectionē ſignamus frontē, ſi nos Euangelij pudet? Quòd ſi vos Euangelij non pudet, cur noua ordinatione veſtra ꝓhibetis in Miſſa Euangeliũ Latine, hoc eſt, in lingua regulata ꝓnunciari, aut legi?

V. At hic non video, cur pręcipitem magis Lutherum voces, q̃ Scholasticos tuos, qui primum literarum diuinarum, deinde & spiritualium adfectuũ rudes, de diuinis rebus commentari ausi sunt.

Quàm præceps sit Lutherus tuus, qui toties intra hoc triennium contradixit sibi ipsi, prioraq́ scripta in posterioribus publice reuocauit, atq; etiam igni adiudicauit, eruditorum grauiumq́ virorum iudicio relinquo. Certo autem scio, ꝙ nihil tale potes vere dicere de nostris doctoribus.

Solidus Doctor S. Thomas.

Et ad impudentissimã hanc tuam calumniam refellendam, vnus mihi satis est Thomas, qui nusq̃ non citat literas diuinas, nusquam non declarat ipsas, nusq̃ non præfert carnalibus adfectus spirituales. Nemo breuius, nemo diligentius, nemo lucidius scripturæ medullam exquirit, explicat, accommodat. Nec quisq̃ omnes animorum adfectus magis distincte, plane & copiose, q̃ ille, prosequitur, aut iudicat pensiculatius. Qualiter vero Lutherus tuus scripturas citet & intelligat, vnus Catharinus abunde ꝓdidit. Et spirituales adfectus suos ipse per sese iam dudũ prodidit, dum optat omnibus armis impeti Cardinales & Episcopos, dum cupit lauare manus in sanguine sacerdotum, dum excucullat Monachos, & nuptui tradit Moniales.

VI. Et hi tibi solidissimi videntur, cum prorsus ab aranearũ telis, hoc est, humanis argutijs, pendeant.

Nequaq̃ pendent nostri doctores ab aranearum telis, sed à scripturis, ab institutis Ecclesiæ, à Decretis Conciliorum, à Iudicijs, Constitutionibus & Expositionbus Rom. Pontificum, & ab interpretationibus approbatis sanctorum Patrum. Has telas, & hæc firmissima stamina vos inquieti & improbi Crabrones non ita facile perrumpetis, vt putatis, stant roborata immobiliter in petra Ecclesiæ Christi,

Christi, aduersus quam ne inferorum quidem portæ præualebunt. Et ideo cōtra grandisonos bombos virulentosq́ aculeos vestros dicimus ad Dominū cum ꝓpheta: Quoniā ipse liberabit nos de manu venantiū, & à verbo aspo. Scuto circundabit nos veritas eius, non timebimus à timore nocturno, à sagitta volante in die, à negocio perambulante in tenebris, ab incursu & dęmonio meridiano. Psal. 90

Quôd si olfacere posses, Hirce, q̄ frigide, q̄ aniliter, q̄ stulte, de maximis rebus garriant, haud dubie Neophyti tibi viderentur, quos nunc solidissimos censes. VII.

Sic garriunt nostri, vt nemo, nisi hæreticus, possit eos pro hæreticis damnare. Sic autem crocitatis vos corui, vt nemo, nisi hæreticus, possit vos pro Christianis veris & Catholicis habere. Quia perfide euolastis ex Arca Noę typica, deuolastis ad immunda cadauera exhumatorū, et proiectorum in mare: conuersi estis in diras Harpyias, volucres obscęnas, quæ magnis quatiunt (vt ait Virgilius) clangoribus alas. Diripiuntq́ dapes, contactuq́ omnia fœdant inmundo. Nihil enim relinquitis nobis intactum. Scripturas tetro hæreticorum sensuum fœtore inficitis, sacra prophanatis, sacrificiorū aras euertitis. Sacramenta & omnia Ecclesiæ speciosa, vncis Rhetoricæ vafriciei pedibus circumuolatis, atq́ in crypticam prędam diripitis. Proh malum horrificum.

Luthe-rani similes harpyis

Virg. 3 Aenei.

Si qua fuit omnino in isto genere prudentia, certe carnalis fuit, & ab omni gustu spiritus aliena. Id quod palam testantur libri. VIII.

Libri palam testantur contrarium. Nam B. Thomas (quem ore blasphęmo dicis, impiæ doctrinæ antesignanū) in omnibus libris suis Theologicis nititur lumine supernaturali, tanq́ principio necessario, ad indagandam & cogno

ſcendam, non carnis, ſed ſpiritus Theologiam. Id quod ſupra ipſius verbis latius declarauimus. Quòd autem prudentia veſtra maxime carnalis ſit, & ab omni guſtu ſpiritus aliena, palam teſtantur nõ ſolum damnati libri & obſcœna dicta, crudeliaq; conſilia veſtra, ſed etiam euentus rei, tumultus populorum, & carnales veſtrę Ordinationes.

IX. Eſt in tuis genus ſapiendi animale, quod cum à prophana mente proficiſcatur, non patiar auctores diuinos vocari.

Iacob. 3 Hic S. Iacobum inter nos iudicem conſtituo, cuius hęc quidem ſententia eſt: Quis ſapiens & diſciplinatus inter vos (inquit) oſtendat ex bona conuerſatione operationẽ ſuam in manſuetudine ſapientię. Quòd ſi zelum amarum habetis, & contentiones ſint in cordibus veſtris, nolite gloriari, & mendaces eſſe aduerſus veritatem. Non eſt enim iſta ſapientia deſurſum deſcendens à patre luminũ, ſed terrena, animalis, diabolica. Vbi enim zelus & contentio, ibi inconſtantia, & omne opus prauũ. Hæc B. Iacobus. Nunc ſatis conſtat omnibus eruditis, Lutherum tuum zelum habere amariſſimum, Id quod iuxta & amici & inimici eius fatentur. Certe ſi opus foret, poſſem exhibere vnius amicorum eius ad me Epiſtolam, ante biennium ſcriptam, vbi hæc inſunt verba. Lutherus neminem timet. Emiſit iam lingua vulgari libellũ acerrimum, contra illum Minorem Lypſenſem: ſcripſit pariter Epiſtolã in Sylueſtri Prieratis nouas ęditiones, adeo acerbã, vt orbis noſter talem non legerit. Quàm acerba autem ędiderit poſtea intra hoc biennium, ipſi declarant libri. Qua propter nihil accommodatius poterit in eum hic dici, q̃ quod ait Iacobus: Vbi zelus & contentio, ibi inconſtantia, & omne opus prauum. Inconſtantiam eius nemo neſcit. At omne opus prauum exhibet nunc infœlix ac triſtis per Saxoniam, Turingiamq; religio-

religionis euersio, abominationumq́; introductio. Est igitur sapientia eius nō à patre luminum, sed terrena, animalis, diabolica. Sapientia autem B. Thomæ, non frustra dicitur Angelica, quia tota pudica est, modestaq́; et pacifica.

Nempe, non tam Lutheri, q̃ ipsius Euangelicę veritatis inimici. X.

Eatenus Lutheri sumus inimici, quatenus hæretic⁹ est, & Christianæ religionis euersor, aliisq́; viciis & sceleribus obnoxius, non vltra. Corrigat ergo errata, abiuret hęreses, submittat se iudicio Ecclesiæ, & nos iniquitatum & impietatum eius non recordabimur amplius. Quòd aũt ipsius Euangelicę veritatis nos dicis inimicos, contumeliosissima profecto nos oneras calumnia, cũ parati simus pro Euangelica veritate stare ac decertare vsq́; ad mortem. Nouit Dominus, quo ego (licet omnium minimus) voto zeloq́; arserim hunc totum annum, ad impetrandam occasionem, qua possim facie ad faciem fiducialiter pro fide & veritate Euangelica, vel ad ignem, vel ad gladium, sub iudicum irreuocabilium præsentia, contra furiosum grandiloquumq́; tuum Goliam semel depugnare. Nouit & ipse tuus incircũcisus Philistęus, quo animo et spiritu obtulerim ei huiusmodi duellum Vuormatię, cum ipse summo cum pudore in conspectu suorum, recusauerit, etiam sine omni periculo mecum sub iudicibus, Cęsaris, Principumq́; aliorum communi decreto designandis, inire certamẽ. Desine igitur Luthero arrogare veritatem Euangelicam, cum ipse ita nihil fidat doctrinæ suæ, vt se nulli iudicio, ne concilio quidẽ futuro credere ausit.

BLASPHAEMIAE VII.

Sed in promptu est cognoscere secundã Aquinatis Thomæ, qui impiæ doctrinę Antesignanus est. I.

Titanicū bellum.

VEre Titanicum suscepistis bellum, vt summos & optimos quosque furiose oppugnetis. Nō parcitis Vniuersitatibus vel celeberrimis, non Ecclesiasticis Patribus vniuersis, nō Concilijs, non sedi Apostolicæ, ne Petro quidem Apostolorum principi, cœlorumque clauigero. De quo nuper, cum vni vestrū ioco dixissem, Deturbabitis opinor è cœlo Petrum. Is mox serio & magna cum fiducia respondit: Certe Roma iā ipsum expulimus. Et prędicant nunc publice quidam excucullares, non esse Petrum & Paulum in cœlo, proinde non implorandos à mortalibus. Tale profecto bellum non est auditum à sęculo. Nam Giganticum illud contra deos fabulosum est, non historicum, poëtarum scilicet figmentū: hoc bellū oculis nostris cernimus à vobis geri, & piget pudetque nos nimiū hui9 maculę sempiternæ, qua Germaniā nostrā exteris nationibus tanto ludibrio execrationique parricidaliter exponitis. Hic est fructus nouę & Poëticę vestrę theologię. Quòd igitur Aquinatem nostrum vbique carpis & insectaris, non miror, quia non est nobis malleus alius aut fortior, aut solidior, quo terga Behemothica impietatum vestrarum contundamus, quàm Angelica huius viri doctrina. Nam & teipso teste, hic Antesignanus est doctrinę impiæ, Id est, Catholicę. Vobis enim hæreticis impium est, quicquid Catholicę & Apostolicę Ecclesię consonum & acceptum est.

II. Nolo mihi hic sanctitatis nomē obsit, quod quo iure illi tribuerint Rom. Pontifices, ipsi viderint.

Quid mirum, si huius sanctitatem nō agnoscitis, cuius doctrina certum vobis minatur exitium? Cum ne Petrū quidem reuereamini, quem ita exagitatis (quantum in vobis est) vt neque in cœlo, neque in terra vllum ei locum concedatis. Et si hodie pręsideret Romę, negaretis tamē nihilo minus Rom. Episcopum (agnoscis credo hæc Lutheri

verba

verba) esse Papam. Sancti vestri sunt, Vuicleph, Anglici Oceani Neptunus; Huss, Constantiensi rogo factus Vulcanus, & bilinguis ille Mercurius Pragensis. Proinde dicitis nunc Germaniȩ; Hi sunt dij tui, qui eduxerũt te de terra Aegypti Papistarum. Beata Grȩcia, beata Bohemia, beati omnes qui sese ab ea sepauerint. Nunc vale infœlix, perdita & blasphȩma Roma. At non ita dixit docuitq; noster Aquinas, ideo apud vos non est sanctus. Gerson autem, quem ipsimet per omnia magnum dicitis, longe aliter de illo sentit. Ita enim scribit in Epistola Lugdunũ missa. Repetita est, inquit, eadem damnatio eiusdẽ articuli de ȩternitate veritatũ, per dominũ Stephanũ Parisiensem, inter illos CCXIX. articulos famosiores, anno M. CC. LXXVI. scilicet per duos annos, post fœlices obitus sancti Thomæ et vere sancti & gloriosi domini Bonauenturæ. Itẽ in Sermone de spiritu Sancto, habito Constantiæ in Concilio. Senserat, inquit, experimento fœlici repletionem hanc spiritus Domini, sursum agentem, ipsa mater Augustini, sancta Monica. Hæc aliquando in Ecclesia sancti Cypriani martyris susceperat sacram cõmunionem, in qua plœnitudo gratiæ, velut in suo fonte, sumitur. Tum protinus corpore à terra leuato, tales erupit in voces: Volemus in cœlum, volemus in cœlum fideles. A qua dum postmodum q̃rere tur, quid sibi voluisset hȩc insolita clamositas & eleuatio. Ipsa vt erat tota colũbinȩ simplicitatis, pie benigneq; respondit; Et quid vultis, quid queritis? Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum. Congruit id quod sequitur: Altaria tua domine virtutum, supple, contulerunt hanc eleuationem.

Luth. in Assert. art. xxx.

Exo. 32

Luth. in Epistola cõtra Syluest.

Verba Gersonis.

Tale aliquid (audite Thomȩmastigæ) de S. Thoma referunt, cuius corpus etiam contemplatio leuabat à terra. Sic in beatis pœnitentiȩ speculis Maria Magdalena & Maria Aegyptiaca factum legimus. Item, in opusculo pro Carthusiensibus; Inter ipsos, inquit, Confessores sanctos hæc

Sanctitas B. Thomæ

fuit differentia. Nam qui scripserunt multa ad fidei illumi-natione͂, & magna scientia & doctrina pollebant, pauciora aut quasi nulla fecerũt miracula, præcipue in vita. Quia habebant probationem sanctitatis, in eminentia doctrinæ. Sic Augustinus, Gregorius, & similes. Vnde cum in Canonisatione sancti THOMAE de Aquino opponeretur, ꝙ non fecerat miracula in vita, vel non multa, dictũ fuit per Papam, Non esse curandum. Nam tot miracula fecit, quot quęstiones determinauit. Hæc Gerson.

III. Id quod non dubium est accidisse etiam sanctulis plęrisq;, nimium rationi humanæ tribuentibus.

Ita ne sanctulis? Siccine honoras domesticos regis ęterni, & coheredes Christi? Vbi sanctulos dicit Paulus? Vbi Euangelium? Vbi vniuersa scriptura? An ideo nimiũ tribuerunt rationi humanę, ꝙ tribuunt homini liberum arbitrium? Quod vos tam stulte q̃ impie, ad dei hominisq; summam contumeliam, negatis & tollitis. Quid enim crudelius Deo, si culpam quęrat et puniat, vbi non est liberum arbitrium? Quid vero miserius homine, si absq; liberi arbitrij vsu, culpæ supplíciatur & pœnæ? Cur quęso non est in cęteris animantibus & culpa & pœna peccati, si iuxta neq; homini, neq; pecudi liberum inest arbitrium? Cur homo irascendo peccat, non canis, si nihil est ratio humana & liberum arbitrium? Quid est, ꝙ in stultos et furiosos, qui vsum rationis non habent, leges non eandem statuunt vel culpam, vel pœnam, quam definiunt in sanos & vsum rationis habentes? Blasphema igitur irrisione sanctulos, nõ sanctos, vocas Dionysium, Cyprianum, Athanasium, Hieronymum, Ambrosium, & id genus complurimos Ecclesiæ Doctores, qui homini liberum tribuere arbitrium.

Homo liberi est arbitrii.

IIII. Nec enim obscurum est, quid hic cõmenti sint & stolidus iste Aquinas, & Scotus, vir hoc nomine longe dignissimus.

Iam

Iam supra dixi, Scotum, non à Græco sono vocabuli (q̃ eum derides) dici, quasi tenebrosum, sed à gente potius & à patria Scotia, celebri Oceani insula & inclyto regno. Quòd aũt stolidum appellas Aquinatem nostrum, admodum agis impudenter, temeritate iuuenili. Quomodo enĩ stolidum dicis eum, de quo Papa (vt ex Gersone retuli) dixit: Tot miracula fecit, quot quæstiones determinauit? Aut quis stolidum dicat eum, cuius etiam corpus contemplatio leuauit à terris? Certe non stolidum dixerunt eum summi Pontifices, nõ Ecclesia, non Vniuersitates, nõ vniuersus ordo Prædicatorum per totum orbem. Extant de ipso Sermones Clementis & Innocentij Pontificum, extat Vrbani V. epistola ad Tolosanos, extant Vincentij & Antonij Chronica, in quibus omnibus honorificentissima fit mentio cõmendatioq; B. Thomæ: ijs certe tantis & ætate prudentiaq; & dignitate viris iure plus creditur, quàm tibi, iuueni & hæretico.

V.

> Thomam, inquis, Christi ac Pauli calculis probatum. Hic vero locus arguit, aut hanc causam nõ defendi à te serio, adeoq; ipsum obliq; rideri Aquinatẽ, cuius auctoritatem mendacio tam impudenti adseris. Nam, vt de Christo taceam, quis ignorat, q̃ multis locis à Paulo discrepet enarratio Thomæ, immo quoties in re Grammatica in illius commentarijs peccatũ est, quum auctoris sententiam non adsequitur? Aut plane cęcum esse te, qui speres tam absurdo commento iudicum animos fallere.

Quàm pie ac eruditè scripserit in Paulũ & Euangeliũ Thomas, ipsa testãtur opera, quæ vulgo habentur venalia per vniuersum orbẽ. Quòd si corpus eius ex cõtemplatione ipsius leuatũ diuinitus fuit aliquando (vt ex Gersone retulim⁹) à terra, quid mirũ, si cęlit⁹ dixerit ei Christus, Bene de me scripsisti Thoma? Quòd aũt à Paulo discrepet eius

enarratio,non credimus verbo tuo, scimus iam solitum te esse plerũq; mentiri, & calũniari. Idcirco, si vis tibi haberi fidẽ, ostende, quod asseris. Nos interim potius credemus Antonio Sabellico, quem & vos celebratis ob ingenij eloquentiæq; eius preclara monumenta. Hec autem sunt eius verba. Multi sub Alberto (quẽ tanti facit hic Italus, quantũ vilipendis tu Germanus Germanũ) egregie profecerunt: sed omniũ maxime Thomas, media Italia Aquini ortus. Is relicta patria, omnes necessitudines spreuit, discendi cupiditate. Erat enim ab Apulię Comitibus oriundus, æterna mortalib9 preferẽs, cęlestia terrenis. In Germaniã pfectus Alberto operã dedit, per quem adeo pfecit, vt Parisijs in clarissimo orbis Gymnasio, primũ sit locum sortitus. Inde Romam ab Vrbano Pontifice accersitus, omnes, qui vltro deferebantur, honores aspernatus, totum, quo natura & voluntate trahebatur, ad docendum & scribendum se contulit, Gymnasiũ Romę instaurauit, pertractauitq; omnes Philosophiæ partes multa eruditione. Extant hodie eius ingenij monumenta, tam multa numero, q̃ grauiter & accurate elaborata. Hæc Sabellicus in opere sempiternæ memoriæ, quo perpetua cunctis Thomæ osoribus nota inuritur.

Ant. Sabel. Enneade ix. li. vii.

VI.

Scilicet obnoxiam fecistis rationem Euangelio, delire Thoma, & tu somniator Scote, cum docuistis, citra diuini spiritus auxilium, posse singula letalia peccata vitari?

An vero nos Philippe, grauiter feramus tua in nos conuicia, cum videamus tam sanctum eruditumq;, ac toto terrarum orbe celebrem, virum, â te delirum vocari? At malumus esse trunci, stipitesq; & cautes (vt nos agnominare soletis) deliri Thomæ, q̃ perditi ac damnati sectatores Lutheri, tam sane furiosi, q̃ hæretici & blasphemi. Vbi aũt Euangeliũ homini ad singula peccata letalia necessitatem imponit? Siccine commendas Euangelium? Ne tamen

quis

quis per calumnias vestras credat B. Thomam gratiæ & spiritui diuino quicquid derogare, operę fuerit preciũ, ipsius adnectere verba. In statu (inquit) naturæ corruptæ indiget homo gratia habituali sanante naturam, ad hoc ꝙ homo omnino à peccato abstineat. Quæ quidem sanatio primo fit in pręsenti vita secundum mentem, appetitu carnali nondum totaliter repato. Vnde Apostolus ad Rom. 7. in persona hominis repati dicit: Ego ipse mente seruio legi Dei, carne autem legi peccati. In quo quidem statu potest homo abstinere ab omni peccato mortali, quod in ratione consistit, vt supra habitum est. Non autem potest homo abstinere ab omni peccato veniali, propter corruptionem inferioris appetitus sensualitatis. Cuius motus, singulos quidem ratio reprimere potest, & ex hoc habent rationem peccati & voluntarij, non autem omnes. Quia dum vni resistere nititur, fortassis alius insurgit. Et etiam quia non semper potest esse peruigil, ad huiusmodi motus vitandos. Similiter etiam, anteꝗ̃ hominis ratio, in qua est peccatum mortale, reparetur per gratiam iustificantem, potest singula peccata mortalia vitare, secundũ aliquod tempus. Quia non est necesse, ꝙ continuo peccet in actu. Sed ꝙ diu maneat absq; peccato mortali, esse non potest. Vnde & Gregorius dicit super Ezechielem, ꝙ peccatũ, quod mox per pœnitentiam nõ deletur, suo pondere ad aliud trahit. Hæc B. Thomas, vbi ne vna quidem litera contra Euangelium sonat.

B. Tho. in pri. se. quest. cix. art. viii.

VII.

> Ne tu autem egregie sapis, qui de Doctorculorum tuorum sanctitate tam audacter pronuncias, in quibus adeo nihil Christi doctrina arguit. At Christi spiritum Lutheri doctrina refert.

Cur vero non secure pronunciemus de sanctitate Thomæ, post sententiam Christi, tot summorum Pontificum, ac totius Ecclesiæ Catholicæ? Si dixit Christus: Bene de

Testimonia publica de sanctitate Thomæ Aquinatis.

me scripsisti Thoma. Si respondit Papa: Tot fecit miracula, quot determinauit quæstiones: Si vniuersalis Ecclesia anniuersaria solennitate festum agit diem Depositionis & obitus eius per totum (vbicunq; sunt fratres Prædicatorum) orbem terrarum: Quis est adeo impius, qui de sanctitate tanti viri post tot infallibilia testimonia adhuc hæsitet? Quid simile habes de Luthero tuo? Summi profecto Pontifices, quibus summum competit ius approbandi & reprobandi doctrinas, honorifice approbauerunt doctrinam B. Thomæ. Hæc enĩ sunt verba Vrbani VI. ad Tolosanos: Volumus insuper, & pręsentium tenore vobis iniungimus, vt dicti Beati Thomę doctrinam, tanquam veridicam & Catholicã, sectemini, eamq; studeatis totis viribus ampliare. Item Clementis VI. verba sunt. Huius doctrina cęterorum Doctorum & magistrorum Modernorum est, verior sine cõtagio falsitatis, clarior sine tædio obscuritatis, vtilior sine vicio curiositatis, latior ambitu suę generalitatis. Item Innocentij VI. verba sunt. Huius Doctoris sapientia præ cęteris (excepta Canonica) habet proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem sententiarum, ita, vt nunquam qui eum tenuit, inueniatur à tramite veritatis deuiasse: & qui eum impugnauit, semper fuit de veritate suspectus. Quæ sit autem de Luthero tuo sententia, fœlicis memoriæ Leonis X. duæ grauissimę condemnationis & anathematizationis Bullę declarant. Extat & Adriani nuper fœliciter et omnium voto concorditer electi Papæ, graue doctumq; ad Louanienses in Lutherum tuum Epistolare pręiudicium. Desine igitur Philippe, columbę coruum, agno lupum, optimo pisci serpentem Regulum, Doctori Catholico furiosum hæreticum, Cohæredi Christi mancipium Diaboli, non solum impudenter conferre, sed etiam perfrictissima fronte præferre.

Sepaueram ex hac oratione tua Philippe per transcursum

sum aliquot item dicta admodum erronea & hæretica, de consilijs Euangelicis, de natura humana, de adfectibus, de gratia Dei, de charitate, de merito, de Baptismo, alijsq́ʒ Sacramentis, de Missa, & id genus alijs non parui momenti rebus Theologicis, vt per compendium ad singula respon derem, immo verius admonerem tantum breuiter: Sed vidi heri, quos iam edidisti, Locos communes, seu Hypotypotheses Theologicas, nouum plane Alchoranum. Qui tanto pernitiosior erit Babylone Lutheri, si non statim deleatur de terra viuentiū, quanto est tibi q̄ʒ illi & stylus suauior, & ingeniū nobilius, ac maior cautiorq́ʒ ad fallendum citatione scripturarum dexteritas & solertia. Heu infœlicem hoc nouo partu Germaniā, nisi mox eum velut monstrū nocentissimū perniciosissimamq́ʒ Syrenem, de medio sustulerit. De quo verissime dixerim, Inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarū. Vtinam & animæ tuæ & vniuersę patriæ nostrę cōsuluisses melius. Hoc autem factum esset, si librum istum non publicasses, nisi legitime prius examinatum. Nunc priusq̄ʒ paretur antidotum, serpet hoc per omnia membra venenū. Ego Alchoranum istum tuum vidi solum apud alium, non habeo ipse: vtinam eum haberet nemo, nisi ego solus: pro summa certe gloria habiturus essem, ipsum nō edidisse, sed mox Vulcano tradidisse, vt hac peste terras, immo animas hominum leuarem.

Loci cō munes Philippi.

Sap. 2

Lipsię excudebat Michaël Blum, 1534.

rio, &
cudii q fit filius
io eu repsentas, veniens
masculus, ne


colorchecker CLASSIC
calibrite
mm